



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 33. de sensilium obiectorum quantitate & numero, ad tex. com.  
79.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

per se inuisibilem esse; neque motum, sed pedes agentes sese, à nobis videri; quatenus eos alium atque alium habentes locum neque alicubi quiescentes videmus. Alterationem quoque ex eo, quod alteratur, animaduerti; quod qualitas non eadem sentiat. Sed quod propterea voluerit ille motum ex accidenti sentiri; omnino probandum non est. Sentitur enim per se, velut propriorum sensilium modus. Obiecta namque communia velut conditiones sunt cum obiectis propriis coniunctæ, propter eam, quam superius exposui, causam. Quoniam enim sensus facultas est materialis & organica, obiectum illius oportet esse quantum; quantitatem autem cætera consequuntur, figura, numerus, motus, & quies. Neque moueat quemquam, quod Galenus in libro tertio de dignoscendis pulsibus cap. 1. motum conatus est probare nullo sensu sentiri, sola mente comprehendendi. Quoniam bestia nullum motum haberent sensum; quas tamen eum sentire certum est; quia & canis moventem se loco dominum sequitur, eoque quiescente quiescit; & omnes omnino ab incurrentibus & motis obiectis terrentur & fugiunt; & id genus plurima.

Aristoteli porò quantitatem libuit postremo loco numerare; quoniam motus, quies, & numerus, sensibus omnibus verè communia sunt; figura & quantitas solis aspectu & tactu dignoscuntur. Sed & aliis in locis alium ordinem seruauit.

*Digestio xxxiii. De Sensilium obiectorum quantitate & numero.*

**I**am prætermittendum non est id, quod sæpius diximus, obiectum sensibile quantitatem semper habere, ita verum esse, vt optimè in libro de sensu & sensibili cap. 6. & vltimo disputauerit Aristoteles impartibile omnino sentiri non posse. Nam vt facultatem materialem, quantitatem, & organicam mittam obiectum accommodatum sibi & proportionatum postulare; omneque obiectum sensibile materiale esse, materiamque quantitatem semper habere: nec formas substantia naturales, cum quibus sensibiles qualitates copulatæ semper sunt, non nisi in materia quanta coherere; sentiendi virtus finita est & certam habet actionis spheram, vltra quam operari non potest. In huius termino si impartibile quidpiam sit, illud sanè sentietur & non sentietur; sentietur, quia non est vltra sensationis terminum; non sentietur autem, quoniam extra actionis sensus spheram exiit. Deinde quoniam eò perfectior existimatur facultas, quò minora potest obiecta percipere; infinita oporteret eam esse perfectionem & virtutem, quæ impartibile obiectum comprehenderet. Propterea quò minus est obiectum, eò propius apponitur sensui. At si in infinitum esset minus, in infinitum apponi deberet; hoc est si esset impartibile, deberet supra ipsum sensum poni: atqui post demonstrabitur, sensibile supra sensum positum sentiri non posse. Omne igitur sensibile fuerit quantum; quantitatisque maior aut minor appositio aut distantia respondebit.

At omne quantum est partibile: omne igitur

**A** sensibile partibile fuerit. Duobus autem modis partitio fiet, aut enim genus in species, aut totum coniunctum in quantitatis partes diuidemus. Si sensibile obiectum per se consideretur, vt qualitas est, & alicuius sensus proprium; nequaquam illud in infinitum diuides, sed in colorum species, sonorum, aliarumque qualitatum, numero certo comprehensas. Quoniam vnusquodque sensibile duas habet extremas species, vt color album & nigrum: vbi verò extrema sunt, necesse est finita esse ea, quæ inter illa continentur. Sin autem quantitatis fiat diuisio, quemadmodum aliud quoduis continuum, diuidi in infinitum potest, non æquales, sed inæquales & minores subinde partes accipiendi. Erit tamen tam parua tandem quantitas, vt nec substantiæ forma, nec sensibiles qualitates conseruetur: nisi fortasse in elementis, quæ probabile est determinatam quantitatem minimam non habere. In cæteris potestate solam & assignatione licebit in infinitum progredi.

**B** Maior difficultas, an possit sensibile corpus esse tam partium, vt omnem effugiat sensum, nec profusus sentiri queat. Fieri posse non dubito, vt quidpiam sit sensibile affectum, quod neque actu sentiat, neque ob paruitatem sentiri ab aliquo animali queat; tum in individuo; tum in specie vnuerſa. Omnis enim facultas sentiens & in individuo & in specie determinatam habet virtutem; quæ vt ad certam distantiam & non maiorem, ita circa tantam quantitatem & non minorem operari potest: quòd & maior distantia & minor quantitas maiorem querant virtutem. Et experientia compertum est, quædam esse tam exigua, vt ab animalibus quibusdam omnino non percipiuntur: quæ tamen comprehenduntur ab aliis: siue de indiuiduis loquaris, siue de speciebus. Quod enim ab indiuiduo vno aut à tota vna specie non percipitur; id ab alio speciei eiusdem indiuiduo, ab aliæque specie comprehenditur.

**D** Quoniam ob meliorem organorum conditionem spiritusque tenuitatem ac puritatem, & in vno indiuiduo acutior, quàm in alio, est sensus; & in vna specie robustior virtus, quàm in alia.

**E** Nihil autem arbitror in rerum natura tam paruum re ipsa existere, vt aliquo alicuius animalis sensu comprehendi non possit. Testatur experientia; & confirmat ratio. Frustrà enim esset sensibile illud corpus, quòd à nullo sentiri posset: & superuacanea iudicaretur illa facultas, cuius nullus potest esse actus. Immo verò cum facultas suapte natura referatur ad actum, sensibileque potestatem significet comparatione actus sentiendi; pugnantia loqueretur is, qui aliquod diceret esse sensibile corpus, quòd sentiri non posset, propterea enim sensibile est, quia sentiri potest ab aliquo, qui sentiendi virtutem habeat.

At quoniam sensibile omne quantum est & diuisionis capax; si diuidatur emittit semper etiam sensibiles illius partes? Eas quoque opinor sensibiles fore, modò conseruentur neque in circumiectum corpus muerentur. Quandiu enim conseruantur illæ, necesse est sensibiles item qualitates in illis velut dispositiones conseruari, vt calorem & siccitatem in igne. Omneque corpus naturale, siue simplex, siue mixtum, sensibilibus qualitatibus

qualitatibus præditum est: hocque naturalia à mathematicis differunt & metaphysicis rebus, quæ à sensili conditione aut mente aut re ipsa abstractæ sunt. Cum autem sint sua natura sensibiles illæ partes, quemadmodum earum minuitur quantitas, ita sentiendi virtus augetur potest, esseque perfectior & acutior facultas; siue id in eiusdem speciei individuus, siue in alia atque alia eueniat specie.

Sole continui partes, quæ corpori copulate inexistunt, nec sentiuntur per se, nec sentiri possunt. Quoniam hæc ut per se distinctæ non sunt, ita nec per se & seorsim afficiunt sensum. Dum tamen coniunctim atque in toto continuo sentiuntur, verè dixeris, si vniversè pronuntiaueris; Nihil omnino esse tam paruum, siue per se existens, siue alteri inexistens, quod aliquo sensu sentiri non possit.

Hæc in gratiam quantitatis & magnitudinis, quæ inter communia sensilia primum ac præcipuum habet locum, dicta sunt. Ex quibus intelliges, quid de sensilium qualitatuum gradibus sentiende oporteat. Nulla enim fuerit tam tenuis, quæ equisito aliquo sensu aut in aliqua coniunctione approximationis sentiri non possit. Eadem est, quæ paruitatis, explicata ratio.

Iam de numero vnum illud disputetur, an multa sensilia simul possint vno sensu sentiri. Facilis esset responsio, si de interiori sensu loqueremur; quem plurium exteriorum obiecta simul cognoscere constat, dum ea comparat, & separat vnumquodque. At de exteriorè dicendum. Is nec simul nec successiuè plura cognoscit obiecta, quæ ad diuersos sensus pertineant. Vnius enim est determinati obiecti proprii. Potest tamen plura sua simul percipere, vt ea faciunt vnum simulque mouent sensum. Aspectus, dum album à nigro distinguit, verumque simul cognoscit. Simul aspicit alborem carter, atramentique nigrorem; & omnino colores plures, dum picturam quampiam intuetur. Multos homines simul videt, & auditus multos audit sonos in concentu musico, aut multorum clamore, &c. Intellectus quoque simul materiam & formam intelligit, vt vnum faciunt coniunctum; & enuntiatio subiecto constat & attributo; vt alia plura taceam. Tamen si à phantasia is pendeat; quæ simul formare nequit nisi vnum. Exterior autem sensus à pluribus obiectis præsentibus simul mouetur. Vt quamuis plures sint obiectorum actiones in sensum, atque adeò plures in eius organo suspensiones ac passionis: illas tamen vnica sequitur cognitio sensus, vnicum de omnibus iudicium.

Qua in re naturalibus cæteris actionibus plurimum præstat sensio. Etenim vnica naturalis actio circa contraria obiecta nõ est, vt alboris nigrorisque productio: at vnica est vtriusque sensio. Ibi reales motus vicissim sese impediunt: hic actio cognitionis diuiniõ omni caret contrarietate, omni impedimento. Minus tamen perfectè ac distinctè singulari intemosecit, quàm si seorsim singula percipisset. Pluribus quippe intentus minor est ad singula sensus.

TEXTVS.

Ta qd res vna est sensu vnica, & ad vnica mouetur. & qd vnica vnica vnica vnica vnica vnica.

Huiusmodi enim nullus sunt propria, sed communia omnibus. Etenim & tactu motus aliquis sensilis est & aspectu.

COMMENTARIVS LXXX.

Quænam communia sensilia sint, superioribus verbis numerando docuit. Nunc cur ita nominentur paucis exponit. Ratio ea est, quam considerent illi; qui hæc interiori illo sensu, qui communis dicitur, sentiri voluerunt, & idèõ communia hæc sensilia vocari. Communia enim appellari tradit, quoniam non sunt vilius sensus propria, sed exteriorum omnium communia, quod experientia testatur, & ratio superius explicata persuadet. Sunt enim velut conditiones sensibus propriis adiunctæ, quòd & obiectum & facultas materiam habeant. Quare quod Auerroës scripsit in commentario 65. sensilia hæc esse propria communi sensui (quidquid aduersus eum disputet sanctus Thomas) ita accipias, vt communem sensum dixerit particularium omnium sensuum communitatem. Non enim ignorauit, si ea communis sensus propria sint, particularibus sensibus ex accidenti fore sensilia: cum tamen ea Philosophus per se sensilia dicat. Et in commentario 133. idem Auerroës omnino cum Aristotele negat ea esse propria vilius sensus. Et hoc in loco ita loquitur, vt communia distinguat à propriis; quòd hæc ad vnum aliquem sensum, illa ad communem, hoc est ad omnes simul pertineant.

Quod Alexander in comment. 36, in lib. de sensu & sensili, & Themistius, Philoponus, Simplicius, atque adeò Auerroës ita interpretati sunt, vt aut omnibus, aut certè pluribus communia esse tradiderint dicanturque communia omnibus, non quod singuli sensus omnia comprehendant; sed quòd quædam omnibus, alia pluribus percipiuntur; nullum vno solo sensu sentiatur. Ipsemet Aristoteles in caput quartum lib. de sensu & sensili apertè scripsit, ea esse communia sensuum, si non omnium, aspectus saltem & tactus: atque hos duos sensus solos non sine causa hoc loco nominauit, cum omnibus communia esse dixisset.

Propterea duobus hisce omnium cognitio repugnante nullo conceditur; reliquis non item. Nam numerum quoque plerique permittunt, dum aut ab vno, aut à pluribus obiectis affici sese animaduertunt. Audimus & vnum sonum & plures, vnum & plures odores odoramus, eodemque modo & sapores gustamus. Motum tamen & quietem gustatui Philoponus præcipit cæteri cum his quoque gustant. Etenim non solum stantes omnes ac de loco ad locum sese mouentes aspiciamus, & audimus sonum, aut odorem olfacimus ex eo dem aut ex alio atque alio

Commu-  
niam  
sensilia  
particu-  
laribus  
sensibus  
sensibus  
et cur  
commu-  
nia ai-  
cantur.

Sensilia  
commu-  
nia an  
omni-  
bus sen-  
sibus  
perci-  
piantur  
omnia.

Arant  
in sensu  
sentiri  
possunt.

loco ad nos venientem: & tactus demum id, quod stat, percipit, & id quod movetur: sed gustatus quoque non modò quà tactus quidam est, verùm etiam per se consideratus saporis dignoscit, dum aut quiescunt, aut linguam palatumque percurrunt, & in aliis atque aliis eorum partibus dulcedine aut amaritudine afficiunt. Hæc igitur tria, numerus, motus, & quies, communia omnibus sunt.

De magnitudine & figura parùm constanter loquutus est Philoponus; eas primùm aspectui solùm & tactui communes dicens; deinde tribus omnino sensibus, aspectui, auditui, odoratiui. Et in textum 13, aspectu & auditu comprehendi subiungens. Quam posteriorem sententiæ partem si tueri velit, reliquis omnibus interpretibus aduersabitur: immò & Aristoteli, qui in paulò ante memorato libello apertis verbis pronuntiauit, si non omnium sensuum, aspectus certè & tactus communia esse. Magis Philosopho consentaneè pronuntiarunt, qui solis hæc duobus sensibus comprehendi dixerunt. Quod Galeno quoque placuit in septimo libro de Hippocratis & Platonis decretis capite 5, tametsi tactui non nisi quandoque & ex accidenti id concesserit. Magnitudo autem hoc loco, vt alibi sæpè, coniuncta quantitas appellatur. Propterea enim distinguitur à numero; & in ea mox consideratur figura, vt illius terminus. Itaque quod Alexander scripsit, magnitudinem auditu quoque cognosci, dum magnum & paruum in sono sentiuntur: Et Themistius cap. 37. sensilia esse omnibus communia. minus propriè & per analogiam quandam & metaphoram dici Philoponus & Simplicius admouent; potiusque vehemens & exile nominari ea oportere.

Illud verè obieceris, sensus omnes facultates esse materiales, quæ sine quantitate obiecta sua non percipiant; quantitatemque omnem finitam figura quapiam terminari: itaque duo hæc sensilia omnibus sensibus communia esse. Accurata tamen & distincta cognitio aspectus duntaxat & tactus propria fuerit; ceteri sensus imperfectè & quoquomodo illa percipiunt. Hocque intellectu accipi potest illud, quod hic dicitur, vniuersum hoc sensilium genus esse omnibus sensibus commune: & illud in libro de sensu & sensibili, quantitatem & figuram aut omnibus aut certè aspectu & tactu sentiri. Ab omnibus enim quoquomodo, ab aspectu & tactu accuratè & distinctè hæc duo sentiuntur. Numerum omnes distinctè percipiunt, multos colores, multos sonos, odores, saporis, & qualitates tactiles; à rebus simul sensus afficitur. Denique motum etiam & quietem; vt eodem semper aut alio atque alio modo ab obiecto aut stante aut accedente permoventur. Aspectus præ cæteris acutissimè de omnibus indicat, vt in capite primo sæpiùs indicati libelli Philosophus adnotauit.

Ceterùm ab vniuersa hac difficultate facile nos expediret Auerroës; qui hoc loco, cuius nunc interpretationem facimus, non legit (huiusmodi enim nullius sunt propria, sed communia omnibus:) verùm ita potius (sed communia eis omnia) vt nõ affirmauerit Aristoteles hæc obiecta omnibus sensibus communia esse; sed omnia esse communia, non vllius sensus propria. Quod

sanè ita esse manifestum est: quoniam omnia aut omnibus, aut certè pluribus percipiuntur, numerus, motus, & quies omnibus; magnitudo & figura, saltem aspectu, & tactu. At cum ipse hoc nomine reprehendit Themistium, reprehendus ipse magis est. Græcè enim non legimus (νοινὰ πάντα) sed (νοινὰ πάντας) non communia omnia, sed communia omnibus: atque ita legerunt semper & interpretati sunt Græci omnes interpretes; magisque consentanea videtur oratio. Nam cum antea dixisset, proprium illud appellari obiectum, quod vno solo sensu percipiatur; deindeque opponens illi obiecta communia affirmasset, ea nullius esse sensus propria; consequens erat dicere, omnibus aut certè pluribus esse communia. Accedit, quod cum in superiori textu duas obiecti proprii condiciones posuisset; alteram, illud esse vnius duntaxat sensus: alteram, circa illud non errare sensum: posteriorique alteram in obiecto communi indicasset opponi, nempe circa hoc interdum errare sensum: consequens item erat alteram priori opponere: ea est, obiectum commune non esse vllius sensus proprium, sed omnibus aut pluribus commune. Ita enim optime fuisse expositum, & quid sit obiectum proprium, quid commune; & quomodo inter se distinguantur.

Hanc igitur posteriorem explicationis partem hoc loco posuit, exemploque notissimo illustrauit; tactum nominans sensum omnium maxime materiaturum, notum, & animalibus omnibus commune: & aspectum, cuius distinctissima & clarissima est operatio; & motum, notissimum omnium & communissimum rerum natura constantium proprietatem. Tactu enim & aspectu percipiuntur motum cognoscere: non est igitur motus proprium alicuius sensus obiectum, sed commune pluribus.

## TEXTVS.

Καὶ ἄλλα μὴ οὗτοι αἰσθῶνται πάντα.

Per se igitur sensilia sunt hæc.

## COMMENTARIUS LXXXI.

Hæc verba sunt veluti eorum omnium conclusio, quæ hæctenus dicta sunt. Cum enim obiectum sensibile vniuersum partitus esset in obiectum per se & ex accidenti; rursumque obiectum per se in proprium & commune diuisisset: postquam docuit, quid sit proprium, quid commune; optime concludit dictum fuisse de obiecto per se; statim dicturus de eo, quod ex accidenti sentitur. Sensilia per se ea censentur, quæ afficiunt & mouent sensum; is motus in propriis manifestus est, in communibus non item: Aristoteles tamen in his quoque agnoscit motum. nam in textu 13, omnia motu sentiri affirmabit: motu in quæ, quem inferunt sensui. A magno. n. albo, vt in quæ, aut à magno sensu calido.

calido, longè aliter afficitur, quàm à paruo: & A  
 minuti caractères faciunt cæcutire: aliter ab eo  
 patitur, quod acutus habet angulos, quàm ab  
 eo, quod obtusos habeat, aut omnino planum  
 sit & æquabile: aliter à pluribus, quàm ab vno:  
 aliter ab eo, quod mouetur, quàm ab eo, quod  
 stat: vt quando aqua fluit, aut stat. Neque hoc  
 in nobis modò est verum, sed & in bestiis. Nam  
 & à magno obiecto plurimum, à paruo vix  
 permouentur: à figura quapiam aut motu ob-  
 iecti accedentis aut multitudinem & numero per-  
 terentur: aliaque in illis plurima obseruamus.  
 Obiecta etiam propria tantopere sunt cum hisce  
 omnibus complicata, vt sine illis mouere sensum  
 non valeant. Color enim nisi maiorem habeat  
 quantitatem, vix acutissimum ac perspicacissi-  
 mum mouet sensum. Perindeque mouebit, etsi  
 à sensili ex accidenti separatur, & sine vlla sub-  
 stantia existat: quod in Eucharistia accidenti-  
 bus manifestum est.

Omneigitur per se sensile mouet sensum &  
 per se ab illo sentitur: quod duobus modis fit;  
 aut tanquam obiectum formale atque illius fa-  
 cultatis proprium; aut tanquam communis om-  
 nium conditio & generalis obiectorum om-  
 nium propriorum modus, quo illorum motio  
 aliis atque aliis modis afficitur ac determinatur.  
 Neque enim abstracta permouent sensum ob-  
 iecta propria, sed vt concreta existunt cum com-  
 munitate: & idè vna & eadem exte-  
 rioris sensus actione, tum propria, tum com-  
 munitate, obiecta perferuntur: illa tanquam for-  
 malia obiecta, hæc vt illorum conditiones &  
 modi: ambo simul, dum obiecta propria hoc  
 aut illo modo affecta comprehenduntur. Quam  
 ob causam Priscianus Lydius in librum Theo-  
 phraſti de anima capite nono & ii. propria dixit  
 actione inferre vehementiorem, communia rem-  
 issiorem & quasi consequentem: & verè adno-  
 tarunt Philoponus in textu 65. & Simplicius in  
 textu 133. duplex esse sensile per se; vnum præ-  
 cipuum ac primarium, quod per se ipsum in  
 sensus incurrit; hocque est proprium: alterum  
 secundarium & tanquam consequens, quod in  
 sensum quidem agit, sed simul cum altero, quod  
 primarium est; atque hoc est commune. Non  
 enim agit magnitudo aut figura, nisi quia colo-  
 rata est; & vnusquisque sensus proprii obiecti  
 rationem primùm quarit. Ergo de hoc dupli-  
 ci sensili per prius & posterius dicitur sensile  
 per se.

Non nulla de quiete & numero difficultas.  
 Nam illa priuationem motus significat, hæc ne-  
 gatione continui cognosci dicitur in textu 133.  
 De vtraque pluribus eo loco. Interim non quietem  
 neque continuitatis negationem intelligas,  
 sed quiescens corpus atque ex eodem situ eod-  
 em modo efficiens sensum: & vnitates itèr-  
 non continuatas, neque communi termino  
 copulatas; sed separatas, & idè alio afficientes  
 modo, quàm cum essent omnes coniunctæ.

Digressio xxxi v. Quomodo sensi-  
 lia communia moueant  
 sensum.

Adendum tamen est, non desuisse, qui sen-  
 silia hæc communia audientes esse sensili-  
 lia per se, sensumque monere; ea crederent im-  
 mittere speciem à sensili proprii specie diuer-  
 sam. Ita Albertus, Egidius, Iandunus. Qui-  
 bus fauere videntur verba illa Themistij capite  
 secundo libri tertij; cum magnitudinem oculis  
 sentit, statim similitudo magnitudinis in oculo  
 sculpsit; eodemque modo & motus & figura &  
 vnitatis. Hocque à sensili ex accidenti communia  
 sensilia distingui tradidit.

Verùm omnino satis est sensili proprii species  
 (quod non propterea dico, quod speciem vllam  
 immitti credam; sed vt illius assertores doceam,  
 quid in hac sententia ipsi debuissent) hoc modo  
 affecta atque à sensili communi determinata. Nō  
 enim à sola obiecti proprii forma per se conside-  
 rata, sed ab obiecto existente & concreto pro-  
 ducitur species. Quare cum non ab albedine, sed  
 ab albo proficiscatur; albumque quantitatem  
 habeat, figuram, & cætera sensilia communia;  
 quæ ab illo prodibit species, vt id representet, à  
 quo producitur, quemadmodum est; tum albe-  
 dinem, tum quantitatem, figuram, cæteraque  
 omnia his adiuncta representabit. Nam vt re  
 ipsa sensile commune conditio est & modus  
 proprii sensilis; ita productioni quoque speciei,  
 imagini, & representationi eius modum ad-  
 fert.

Quod dixi de specie, idem prorsus de motu  
 illo intelligas, quem sensilia propria sine specie  
 faciunt in sensu. Non inquam diuersum habent  
 motum à propriorum motu sensilia communia;  
 sed conditioni suæ accommodatè satis moueri  
 censentur, dum quoquomodo afficiunt & modi-  
 ficiant motum illum, qui à propriis infertur sen-  
 sui. Propterea in vtrumque obiecti genus fertur  
 sensus, & vtrumque tanquam vnum vnico actu  
 percipit: quod non esset, si diuersas species aut  
 motiones immitterent. At vnum percipit vt ob-  
 iectum formale; alterum vt illius conditionem  
 & modum. Alterum, vt sensus est & cognoscen-  
 di vim habet: alterum, vt materialis est & orga-  
 nicus. Ita alterum solùm immittit speciem aut  
 mouet sub formali ratione, qua facultatis virtus  
 continetur: alterum, vt conditio adiuncta spe-  
 ciem aut motionem modificat. Accedit, quod  
 magnitudo & extensio albedinis non est quid-  
 piam re ab albedine distinctum, quod diuersa spe-  
 cie aut motione indigeat. Etsi enim quantitas re  
 ab albedine distinguatur, sensus tamen represen-  
 tari non debet realitas quantitatis per se conside-  
 rata, sed color ipse extensus hacque figura com-  
 prehensus: quod non alia specie aut motione, sed  
 modo duntaxat quopiam opus habet. Quamquã  
 si communium sensilium naturam consideres,  
 planè cognosces, nullum eorum propriam pos-  
 se speciem aut motionem producere. Medium  
 & organum post docebit Philosophus care-  
 re oportere omni eo, quod debent suscipere:

FFF